



RECTOR
ACADEMIAE LIPSIENSIS

OBITVM

V I R I

MAXIME REVERENDI EXCELLENTISSIMI
ATQVE AMPLISSIMI DOMINI

D O M I N I

LVDOVICI CHRISTIANI
CRELLII

S.S. THEOLOGIAE LICENTIATI, PHILOSOPHIAE
PRIMAE AC RATIONALIS PROFESSORIS PVBLICI ORDI-
NARI, COLLEGII MINORIS PRINCIPVM SOCI, ET
SENIORIS, SCHOLAEQVE NICOLAITANAE
RECTORIS,

DIE XV. NOVEMBR. A. c19 13cc XXXIII.

PLACIDE DEMORTVI

CIVIBVS SVIS INDICIT.



J. Dr. Mayor

Biogr. erud.

D. 204, 54



Vllum tempus, hoc duodeuicesimo, post Christi natiuitatem, faeculo, Philosophorum Ordini nostrae Academiae magis acerbum ac luctuosum fuisse videtur, quam triennium illud, quod post tricesimum annum illuxit. Vix eripuerat mors mensē Maio anni tricesimi primi IOANNEM SCHMIDIVM, Ordinis incluti Seniore, quum mensē Ianuario anni sequentis CHRISTIANVS LVDOVICI, Ordinis Decurio, et, ne haec plaga sola esse videretur, mensē Aprili IOANNES BURCHARDVS MENCKENIVS, Ordinis Decus, e viuorum numero auferrentur. Post haec tria adeo excellentium virorum funera, quae intra biennium elata fuerunt, spes erat haud inanis, fore, vt sequentes anni, propitiore nobis fato, decurrerent, nec hic ipse, quem diuina gratia agimus, annus, nouam cladem nobis inferret, quum vulnera istis trium Philosophorum mortibus inflicta, nondum fatis sanata esse viderentur. Sed ecce! dum in ipso mensis Nouembris medio constituti sumus, feralis illa vox praeconis obitum LVDOVICI CHRISTIANI CRELLII prius indixit, quam rumor de eius morbo ultimo, quo occubuit, fere percrebuerat. Vrbi nostrae haec laus sane propria esse videtur, illam peregrinorum quoque esse matrem. Hoc amore denuo complexus est *Virum Maxime Reuerendum, Excellentissimum atque Amplissimum Dominum, LVDOVICVM CHRISTIANVM CRELLIVM, SS. Theologiae Licentiatum, Philosophiae primae ac rationalis Professorem Publicum Ordinarium, Collegii minoris Principum Socium, et Seniore, Scholaeque Nicolaitanae Rectorem*, de quo dubitandum est, vtrum Academia in eo formando ornandoque, et Senatus in illo prouehendo magis laborauerint, an CRELLIVS de iuuentute Academica et Scholastica erudienda sollicitior fuerit, recte cum Cicerone (*) arbitratus, nullum *reipublicae munus maius meliusque afferi posse, quam si doceamus atque erudiamus iuuentutem*. Digna est vita huius viri, tam insigniter de his Ecclesiae pariter ac Reipublicae seminariis promeriti, quae a nobis hac scriptione commemoretur, dignae eius virtutes, quae praesentibus et posteritati ad imitandum proponantur! Natus est LVDOVICVS CHRISTIANVS CRELLIVS, Neostadii ad Ericas, vrbe in Principatu Coburgensi sita, A. clō lōc LXXI. d. XXVIII. Maii st. v. parente Viro Maxime Reuerendo, M. HENRICO CRELLIO, Pastore et Superintendente Neostadii ad Ericas bene merito, (**) matre CHRISTIANA MAGDALENA, nata BRAVNIA. Auum paternum veneratus est M. MICHAELM CRELLIVM, Ecclesiae Cathedralis Altenburgensis Pastorem, auiam ex patre REGINAM, D. HENRICI ECKARDI, Superintendentis Generalis Altenburgensis, filiam, auum maternum LVDOVICVM BRAVNIVM, Superintendentem Saalfeldensem, auiam ex matre, ANNAM HOEAM, Senatoris apud Slesuicenses in Holsatia filiam. Nondum quartum expleuerat annum NOSTER LVDOVICVS CHRISTIANVS, quum ei parens carissimus d. VIII. Maii, A. clō lōc LXXV. praemature fato eriperetur, sed diuina prouidentia factum est, vt, postquam eius mater dilectissima ad secunda vota transierat, et Viro Illustri atque Consultissimo IOANNI CHRISTOPHORO TRIERIO, Serenissimo Principi Saxo-Coburgensi et Meinungensi, a consiliis aulae et iustitiae, Consistorii Praesidi Vicario, et Consiliario Prouinciali, nupserat, in vitrico suo alterum parentem inueniret, cuius vere paternum in se amorem NOSTER beate defunctus saepe praedicauit. Fundamenta in Schola Meinungensi sub auspiciis Doctissimi MVNCKII, Rectoris, et aliorum Collegarum, iacere studuit, sed quum singulari in litteras elegantiores amore, a teneris annis, ferretur; noluit immatura studia in Academiam propellere, sed A. clō lōc LXXXVIII. Gymnasium Cizense petiit, partim celebritate eius, partim carissimae materterae, vxoris Viro Consultissimi, CAROLI CHRISTIANI FOERSTERI, Serenissimo Duci Saxo-Cizensia consiliis aerarii, amore inuitatus. Quemadmodum vero cum ex CHRISTOPHORI CELLARII, magni Germaniae Polyhistoris, et M. GODOFREDI GLEITSMANNI, Rectorum, institutione, tum ex M. KOEBERI, Con-Rectoris, informatione, intra biennium, quod in Gymnasio Cizensi exegit, multum omnino in his litteris profecit; ita non minus laudatae materterae, quam amore, quo filium decet, profecutus est, sibi collata beneficia, quibus illum etiam subsequenti tempore ornauit, gratissima mente semper agnouit. A. clō lōc XC. mensē lun. doctrinae vberius excolendae causa in hanc Academiam concessit, et in humaniori litteratura ADAMVM RECHENBERGIVM, IOANNEM SCHMIDIVM, IOACHIMVM FELLERVM, OTTONEM MENCKENIVM, in Lingua Ebraea TILEMANNVM RIVINVM, SS Theol. Licentiatum, M. CHRISTIANVM ZOEGAM, et M. STARCKIVM, in Philosophia IOANNEM CYPRIANVM, IOANNEM GOTTLIEB HARDTIVM, TILEMANNVM HESHVSIVM,

(*) Lib. II. de diuin. c. 2.

(**) Vid. eius vitam in *Iob. Christiani Thomae* Historica descriptione vitarum Concionatorum etc. Principatus Coburgensis, Germanice 1722. 8. edita, p. 590. vbi eius scriptis addenda est dissertatio, de modo dicendi, in praedicationibus occurrente, Helmstadii 1666. publice defensa.

SIVM, in Theologia IO. BENED. CARPZOVIVM, IOANNEM OLEARIVM, IOANNEM SCHMIDIUM, IOANNEM GVN'THERVM, diligenter audiuit. A. clō lōc XCII. prima laurea ornatus sub ADAMI RECHENBERGII praesidio *de Monarchianis haereticis* publice in arenam progressus, anno sequenti d. XXVI. Ian. summos in Philosophia honores obtinuit, breuique interiecto tempore, d. XXVIII. Sept. eiusdem anni, iura Magistri, defensa publice *de Locustis non sine prodigio in Germania tunc conspectis* disputatione, sibi vindicavit, dissertationem etiam tertiam a D. IOANNE BENEDICTO CARPZOVIO Nicolai Arnoldi, Franckerani Professoris, *Luci in tenebris* oppositam, in Acroaterio Theologorum, mascule propugnauit. Quibus diligentiae et eruditionis speciminibus in vtraque cathedra publice editis, non solum varia Collegia Hebraica, Graeca, Oratoria, Disputatoria, et alia ad Philologiam sacram aequae ac profanam pertinentia, NOSTER aperuit, sed etiam aliorum quorundam huius urbis grauissimorum virorum, inter quos PLAZIVM, BORNIVM, CHRISTIVM, BOHNIVM, nominasse sufficiat, filios praeclarae indolis, intra vela, bonis litteris instruxit; tanto successu, ut cognita eius in hoc studiorum genere insigni dexteritate, ab Amplissimo huius urbis Senatu A. clō lōc XCVI. mense Iunio Scholae Nicolaitanae Con- Rector, et A. clō lōc XCIX. itidem mense Iunio eiusdem Scholae Rector constitueretur. Quam bene in vtroque munere de scholastica iuuentute meruerit, quot viri eruditi, iique summa doctrina praediti, in magna etiam dignitate constituti, ex hac schola, ab eo tempore, quo ei CRELLIVS NOSTER praefectus est, nunquam non prodierint, commemorare hic superuacuum esse videtur. Nec intermisit Academia NOSTRO LVDOVICO CHRISTIANO ea beneficia, eos honores tribuere, qui bene merentium sunt praemia. A. clō lōc XCVII. mense Nouembri Collegium minus Principum EVM sodalem suum elegit, et post biennium A. clō lōc XCIX. non modo Philosophorum Ordo, habitis binis Dissertationibus, vna d. XXV. Sept. A. clō lōc XCV. *de ciuis innocentis in manus hostium ad necem traditione*, altera *de Scytala Laconica* d. XIII. Martii A. clō lōc XCVII. defensa, titulum Assessoris Facultatis Philosophicae, sed etiam Ordo Theologorum gradum Baccalauri Theologiae EI concessit. Rationem quoque studiorum et meritorum EIVS Serenissimus ac Potentissimus Rex et Elector, FRIDERICVS AVGVSTVS, gloriosissimae memoriae, et A. clō lōc VIII. Professionem Philosophiae extraordinariam ei demandauit, quam programmata *de multis studii Philosophici nostra hac aetate prae superioribus saeculis, adiumentis atque litterariis praesidiis*, et oratione *de studii sapientiae impedimentis a Schola ortis, eque scholis inde remouendis* iniit, sed etiam Professionem Philosophiae primae ac rationalis ordinariam a Reuerendissimo ac Serenissimo Principe DN. MAVRITIO GVILIELMO, Postulato Administratore Episcopatus Martisburgensis, ipsi collatam, clementissime confirmauit, quam Programmata *de pretio Metaphysicae*, et oratione *de vario Logices, qua Metaphysicae iuncta est pretio, eiusque constituendi causis* d. XI. Martii aggressus fuit. Eodem anno titulum Licentiati Theologiae a Venerando Theologorum Ordine obtinuit, habita dissertatione inaugurali, qua *ὁμοίωσιν τῶ θεῶ καὶ ἔνωσιν αὐτῶ* proposuit, et ut huius scientiae rerum diuinarum, quam sibi acquisuerat, aliquis fructus in sacram ciuitatem redundare posset, conciones sacras, in Templo Paulino institui solitas, ab anno clō lōc XVIII. in se etiam suscepit, postquam in eodem Templo anno superiore Iubilaeo Carmen saeculare elegantissimum recitauerat. Functus est NOSTER Decanatu in Ordine suo quater A. clō lōc XIX. A. clō lōc XXIII. A. clō lōc XXVII. et A. clō lōc XXXI. Procancellariatu bis A. clō lōc XX. et clō lōc XXVIII. et hac occasione varia programmata, eaque docta, conscripsit, multa etiam carmina, nomine publico, pepigit, quae, siue epos scriberet, siue lyra caneret, satis superque produnt, CRELLIVM ingenii venusti Poetam fuisse. Praeter vero dissertationes supra commemoratas, quibus iura et honores adquisiuit, varias adhuc instituit, scilicet *de Providentia Dei circa Reges constituendos ad Plinii Panegyricum c. I. §. 3. 4. 5.* d. XXVII. Iun. A. clō lōc VI. *De iudicio Salomonis nostra aetate resuscitato, seu controuersia de proprietate liberorum e causis naturalibus et moralibus diiudicanda, occasione casus Lipsiae* A. clō lōc V. *agitati* d. III. Febr. A. clō lōc VI. *De eo quod in Anacreonte venustum et delicatum est*, anno eodem d. VIII. Sept. *τὰ τῆ ἐπικτῆτε ὑπέροφα καὶ ἄσσοφα in iis, quae ad Deum pertinent.* d. XXVIII. Ian. A. clō lōc XI. et *τὰ τῆ ἐπικτῆτε ὑπέροφα καὶ ἄσσοφα circa officia hominis erga se quoad animum excolendum* d. VIII. Februarii A. clō lōc XVI. et eodem anno, mense Aprili *de imaginationis in mentem corpusque imperio*, auctore Respondente Ioanne Georgio Schnell, Lindauensi, nunc Pastore patrio meritissimo, *De Antonio Musa* A. clō lōc XXV. d. X. Febr. Respondente filio natu minimo, Ioanne Friderico. Tacemus eius Orationes, et inter has parentales, quarum nonnullae typis quoque exscriptae fuerunt, reliquae in MSto habentur, Symbolas eius, *Actis Eruditorum* insertas, cui societati, et *Anthologicae*, hodieque apud nos florenti, uti per plures annos adscriptus fuit; ita Collegio Concionatorio maiori, item Collegio Philo-Biblico nomen suum dederat, vbique partibus sibi demandatis egregie perfunctus. Dicendum nunc potius est de eius matrimonio, quod non tantum ipsi pacatum et iucundum contigit, sed etiam magnam egregio publico vtilitatem peperit. Ex quo enim diuina benignitate sedem sibi aliquam Lipsiae paratam esse deprehenderat, tori sociam sibi circumspiciendam ra-

tus

tus virginem lectissimam, omnibusque sui sexus virtutibus condecoratam, CATHARINAM CHARITATEM, Viri Consultissimi et Excellentissimi Dn. CHRISTIANI PACKBUSCHII, Iuris utriusque Doctoris, Scabinatus Lipsiensis Senioris et Consistorii Adfessoris, filiam d. XXVIII. April. A. clō lōc XCIX. in matrimonium duxit. Neque vero tantum foecundum hoc matrimonium fuit, sed etiam quot liberi ex eo sunt superstites, tot exoptatae educationis habendi sunt exempla. Suscepit autem NOSTER LVDOVICVS CHRISTIANVS ex carissima sua coniuge quatuor filios, 1.) HENRICVM CHRISTIANVM A. clō lōc ipsi Kalendis Maiis natum, Philosophiae Magistrum et Scholae Francofurtanae ad Viadrum Rectorem meritissimum, ex quo etiam EVAE ROSINAE, Plurimum Reuerendi Dn. M. VNGNADII, Archidiaconi Francofurtani, filiae, quae vero iam mortalitati erepta est, iuncto, duos nepotes vidit; Alterum A. clō lōc XXXI. natum, sed primo anno iterum defunctum, alterum WOLFGANGVM CHRISTIANVM A. clō lōc XXXIII. Mense Ian. in lucem editum, adhuc superstitem. 2.) CHRISTOPHORVM LVDOVICVM, d. XXV. Maii, A. clō lōc III. natum, Philosophiae et Iuris utriusque Doctorem, Iuris Naturae et Gentium itemque Poetics in Academia Vitembergensi Professore Publicum Ordinarium, et Iureconsultorum Ordinis Adfessorem, virum de his muneribus praeclare merentem. 3.) IOANNEM GODOFREDVM natum d. XXVI. Martii, A. clō lōc V. denatum d. II. Sept. clō lōc VI. 4.) IOANNEM FRIDERICVM, natum d. VI. Ian. A. clō lōc VII. Philosophiae et Medicinae Doctorem, non minus aegrotis, salutaribus consiliis, quam studiosae iuventuti, praelectionibus medicis, inseruientem. „In officio suo et omni vita id semper maxime, „pere studuit NOSTER, (quae ipsius sunt verba) vt Deo proximoque assidue seruiret, et „ex omnibus viribus. Et quanquam tenue corpusculum et valetudo saepius infirma esset; „nullam tamen aliis, etiam cum incommodo suo, inseruendi occasionem praetermisit, multam- „que potius et aliis proficuum, quam longam et inertem vitam expetendam putauit, „certo persuasus, quod Deus, qui semper sibi adfuit laboranti, suis, etiam se mortuo, sit adfuturus. Quod ad eius valetudinem attinet, illa sane ab anno huius saeculi octauo multis vicissitudinibus obnoxia fuit. Quanquam enim illo anno ad finem vergente omnes et singuli plane de eius vita desperarent; natura tamen, hoc capitali morbo feliciter depulso, ex haemorrhoidum fluxu, quem excitauit, aliquod leuamen accepit. Sed leuamen erat modo temporarium. Quoties enim salubris illa quidem, sed incommoda, naturae crisis in fluxu suo reprimebatur: toties Beatus CRELLIUS nouis iisque acrioribus morbis expositus fuit. Expertus hoc est in primis anno huius saeculi vicefimo secundo. Postquam enim eo tempore natura aliam viam eligere, morbumque ad pulmones conuertere incepit; frequens et perpetua fere tussis eum quassauit, quae, pro anni et tempestatis ratione, modo peior, modo tolerabilior erat. Reuertit tamen subinde ille haemorrhoidum fluxus, quo A. clō lōc XXXII. plane cessante, NOSTER denovo grauissimo morbo correptus fuit, e quo variorum Medicorum experientissimorum consiliis fidelique ope tum liberatus est, ita vt, valetudinarius subinde licet, plurimam partem muneri suo satisfacere potuerit. Interfuit etiam NOSTER adhuc die XII. huius mensis lectionibus matutinis publicis, sed circa prandium de frigore et succedente calore, pectorisque anhelitu conquestus, vires suas tam subito debilitatas atque prostratas sensit, vt natura, optimis quanquam remediis ab Experientissimo D. DRESLERO, cuius auxilium aegroti filius Medicus exorauerat, suppeditatis, adiuta, nouam istam humorum congestionem, pituitamque tussi eiicere haud valeret. Quemadmodum vero saepius, et praecipue per integrum illud biennium, quo subinde grauibis morbis afficiebatur, mortem proxime instantem semper meditatus fuerat NOSTER: ita in praesentia etiam, quum discessum illum ex hac vita propius appropinquare intelligeret, Deo eiusque voluntati, tranquillo animo, se totum tradidit, et nupero die XV. Nou. intra horam matutinam VIII. et IX. inter suorum adstantium preces et suspiria, animam Seruatori suo IESV CHRISTO placide reddidit, cum per sexaginta duos annos, sex menses, octoque dies vitam suam egisset, viris eruditis, qui anno climacterico maiori decefferunt, (*) annumerandus. Quicquid mortale habuit NOSTER, hodie mane d. XVIII. Nouembr. in monumento Packbuschiano prope Templum Paulinum terrae mandatum fuit, anima per Christum Seruatorem, ὁμοίωσιν τῷ Θεῷ καὶ ἔνωσιν σὺν αὐτῷ, tanquam vltimum ac primarium sapientiae naturalis ac reuelatae finem, quem NOSTER sibi praefixum perpetuo habuit, et omnes habere debent, iam nuperrime consecuta. Deprecatus quidem omnia solemnia est NOSTER CRELLIUS, pompam funebrem omnem, praeter hanc tabulam, memoriae viri, de Academia nostra bene meriti, quidem conseruatricem, sed in animis amantissimorum sui discipulorum, et in triga filiorum eruditissimorum semper rediuiuae, quibus, vt et Viduae moestissimae, diuinum solatium, et auxilium, quo Deum suis, se mortuo, adfuturum, certo sibi persuaserat, ex animo adprecamur. P. P.

Lipsiae d. XVIII. Nouembr. A. R. G. clō lōc XXXIII.

(*) Collegerunt eiusmodi exempla Reinhardus Henricus Rollius, in dissertatione Epistolica ad Ioannem Fechtium, Rostochii 1707. 4. excusa, et Ioannes Adamus Bernbardus, in Hist. curiosa eruditorum p. 817.

LIPSIAE, EX OFFICINA LANGENHEMIANA.